


/ Sigismund

Transactio Lincopiae quod est in Gothia orientalioppidvm ...



SOT // Kungl. förordningar / 2. saml.

Tillkomstår 1598

Digitaliserad år 2016



National Library
of Sweden

7

TRANSACTION
LINCOPIAE (QVOD EST
IN GOTHIA ORIENTALI OPPIDUM) INTER SERENISSIMUM
DOMINVM SIGISMVNDVM,
SVECIÆ ET POLONIÆ ETC. REGEM,
ET ILLUSTRISSIMUM DOMINVM
CAROLVM, REGNI SVECIÆ
HÆREDITARIVM PRINCEP-
TEM, SYDROMANNIÆ
ETC. DVCEM
FACTA,

28. Septembris Anno 1598.



STOKHOLMIÆ

Impressit Andreas Guttervitz.



ORIGINAL

THE (1850) BUREAU OF LANDS

AND MINES

WASHINGTON

1850

...

...

...



TRANSACTIONE LINCOLN
PIENSIS ET SVETICO SER-
MONE IN LATINVM CON-
VERSA.

NOS SIGISMUNDVS
DEI GRATIA SVECO-
RVM, GOTHORVM VAN-
dalarumq; Rex, Magnus Dux Finlan-
diae, Careliae, VVotzkpethini & In-
griae Ruthenorum, Esthoniae, Livo-
niam Dux: Nec non Poloniae Rex, Magnus Dux Lithua-
niae, Russiae, Prussiae, Massaviae, Samogytiae, Kibodiae,
VVoliniae, Livoniae, Dominus &c. Constare & notum esse
volumus, posteaquam per diversos casus dissensione inter
nos & illustrissimum Principem patrum nostrum charissi-
mum, Dominum Carolum, Regni Sueciae hereditarium
Principem, Sydomanniae, Nericiae, Vermelandiae, Du-
cem &c. exorta, res (proh dolor) ad eum statum deducta sit
ut inter incolas Regni Sueciae civili contentione suscitata,
ad arma deventum sit, duorumq; exercituum parti alterutri
externus miles accesserit opemq; tulerit, & utriq; exercitus
praelio congressi decertaverint, quod ea ex re manifeste
apparuerit, nisi huic malo in tempore remedium inveniatur
eiq; tempestive occurrendo in longitudinem consulatur exitia-
le nos Regnumq; nostrum inde detrimentum accepturum.

Quamobrem nullum præsentius huic malo remedium
afferre potuimus, quam ut sublatis dissidijs controversijsq̃
compositis & sopitis, inter nos & eundem patrum nostrum
charissimum fraternus & sincerus amor & concordia dissi-
dijs interrupta, restauretur & resarciatur. Idcirco inter nos
& eum quem diximus patrum nostrum lis eo quo sequitur
modo composita est.

Principio patruus noster charissimus & omnes ij qui
hactenus à partibus ipsius steterunt sanctè & religiosè no-
bis confirmârunt se nobis hæredibusq̃ successuris nobis obse-
quium, reverentiam, fidem fraternumq̃ amorem exhibitu-
ros ex præscripto eius iuramenti quod nobis præstiterunt,
ipsiq̃ sanguinis & propinquitatis, obedientiæ & subiectionis
iure nobis obstricti sunt, Ideoq̃ nos vicissim sanctè & inter-
posita fide & dignitate regia promissimus, promittimus &
confirmamus, nos neq̃ præsentis neq̃ postero tempore vindic-
catorios & ulturos ea quæcunq̃ toto dissensionis tempore quo-
vis modo acciderunt, nec ob eam rem odio & inclementia
prosequuturos vel Ducem vel socios, quæq̃ ministri Ducis
mandatu sui Principis gesserunt. Verùm eundem illustris-
simum Ducem amore & benivolentia aliosq̃ omnes regia be-
nignitate & clementia amplectemur, nec ullo unquam tem-
pore in authores earum rerû quæ gestæ sunt, animaduertemus
nec quenquam aliqua pœna afficiemus, nihil deniq̃ per vim
fraudemue agemus & moliemur per aliôsue clam palamue
intra vel extra hoc Regnum machinari permittemus quod
illustris

illustrissimo Principi eiusue coniugi, liberis, ministris, subditis & socijs, nostrisue subditis qui superiori tempore à partibus eius steterunt, cuiuscunq; dignitatis, Ordinis, fortunæ & conditionis hominibus, Ecclesiasticis sive politicis, nobilibus vel alijs detrimentum corporis vel fortunæ creare & afferre queat. Pro ea etiam qua valemus auctoritate & potestate regia ministris subditisq; nostris serio & sub gravi pœna, ut idem faciant, præcipimus & mandamus.

Profitemur & promittimus etiam, nos gubernandi rationem ad iurisiurandi religionem, cautionemq; regiam scripto compræbensam & in auguratione præstitam, Legesq; Sueticas revocatuos.

Omnes etiam controversiæ usq; ad futura & libera comitia intra quatuor menses celebranda prorogabuntur, eo tempore si vel nos vel patruus noster charissimus quenquã, vel subditi subditos convenire & in ius vocare velint, omnes illæ controversiæ coram arbitris neutri parti addictis, utpote Imperatoris, Regum, Electorum & Principum Legatis ad eam rem literis amicis accersendis decidantur & componantur, imprimis verò eæ controversiæ tùm determinabuntur, quæ inter subditos Suecos aliter dirimi & decidi nequeunt. Inter nos verò patruumq; nostrum charissimum nulla iuris aliaue disceptatio usurpetur, nec ut aliqua suscipiatur necesse est, verùm controversiæ inter utrumq; exortæ, ut supra commemoravimus per ἀμνηστίας perpetuum compositæ & omninò sopitæ erunt.

Quaecunq; etiam ab omnibus communiter acta, conclusa & decreta sunt, ad ea singuli vel pauci separatim respondere non tenebuntur, sed communiter universi de ijs rationem reddere admittentur. Quaecunq; etiam in comitijs futuris decreta fient, rata & grata erunt, ijsq; universos gaudere & uti frui permissum erit, nec quisquam contra ea gravabitur aut ullo detrimento afficietur. Omnes etiam captivi alijq; utriusq; partis in ijsdem comitijs iuri & iudicio se sistere tenebuntur.

Quod ad peregrinos milites attinet, quos in Regnum transportari curavimus, ubicunq; erunt, tum eos quos pœnēs nos habemus, tum qui in propugnaculis & munitionibus sunt, continuo ex Regno dimitemus, exceptis consuetis nostris ministris aulicis & quos corporis custodiæ causa circa nos habemus, qui tamen eorum numerum quorum opera superiori tempore in hoc Regno usi sumus, non excedent.

Præterea etiam militibus Suecis equitibus æque atq; peditibus qui hætenus nobis militârunt, comitatum damus, ijsq; domum redire mandato nostro iniungetur, idem etiam dilectus noster patruus suos facere iubebit.

Clementer etiam consensimus & permissimus, ut ij quos patruus noster, absentibus nobis, arcibus & alijs officijs præfecit, usq; ad futura comitia ijs officijs performantur.

Quinq; verò illi viri qui Senatorio munere functi sunt, quos patruus noster à nobis sibi tradi postulavit, in potestate eius

te eius usq; ad causæ decisionem permanebunt, necessario tamen victu proviso, corpori fortunisue eorum non noceatur.

Porrò clementer promisimus, nos hoc concordie patulum nostro diplomate in omnibus Regni provincijs & locis publicaturos, cui diplomati etiam patrum nostri dilecti excusationem adiungemus, qua ipsius dilectio ijs criminibus levabitur, quæ dilectioni eius quorundam calumnijs obiecta fuerunt, serioq; mandabimus, ut armis depositis universi & singuli pacem colant.

Patrum etiam nostri ministris & subditis ad negocia vel sui Principis vel etiam propria expedienda in Regno ubi vis locorum liberum & pacatum transitum concedemus, hac tamen lege, ut pacificè se gerant, nec seditionis sint authores. Simili libertate & securitate ministri & subditi nostri in ipsius dilectionis Ducatu gaudeant & fruantur.

Vbi his omnibus, quæ modo commemoravimus ad effectum perductis, in Regiam nostram urbem Stockholmiæ feliciter pervenerimus (quo Deo benè iuvante primo quoq; tempore cogitamus) patruus noster dilectus, se nobis nostras arces, classem, tormenta bellica, quæq; nobis alia Regni Sueciæ nomine debentur, & eius dilectionis fidei commissæ fuerunt, eaq; hæctenus possedit & adhuc possidet, rursus in potestatem nostram traditurum, nobis confirmavit, quibus omnibus contra eius dilectionem & in perniciem patriæ nullo modo abuti cogitamus.

Hæc

*Hæc omnia & singula firma & rata fore interposita
fide & autoritate regia promittimus & pollicemur. Vtq;
his literis fides adsit, eas Sigillo nostro manuq; proprie
subscriptione confirmavimus.*

*Si verò præter opinionem accidat, ut alterutra pars vel
nos vel patruus noster ab hoc pacto recedat, idq; (quod absit)
violat, eo casu Ordines Regni, parti violanti resistendi ius
& potestatem habebunt. Actum in arce nostra Lincopia-
na, 28 Septembris Anno D. C. 1598.*

Sigismundus Rex.